

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 870

**Auteur(s) :** Henri II, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Robert de Gouvix, Bayeux (chanoine)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1165-1205]

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, fait savoir que le chanoine Robert de Gouvix fournira le luminaire de la grande couronne le jour de la Pentecôte, et il étend cette obligation à ses successeurs dans son canonicat.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° LXXIX, t. 1, p. 101-102.

## Dissertation critique

Episcopat d'Henri II, 1165-1205.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, et ejusdem ecclesiæ capitulum, salutem in Domino perpetuam. Quantus honor quantaque debeatur diei et reverentia quem Spiritus Sancti consecravit adventus, quemquam fidelium non patitur ignorare sua professio. Spiritu igitur veritatis inspiratus, et spiritalem hujus diei concipiens respectum, dilectus filius noster, Robertus de Goviz, canonicus, alacri studio procuransum (sic) censuit ut, memorata die, annua revolutione quoad in canonicatu nobiscum Deo militaverit, ecclesiæ nostræ corona ejus sollicitudine et impendiis cereis adornetur accensis. Tanto nimirum devocius ad hoc inclinatus quo nobis magis est sattagendum, ut eo die, horis præsertim quibus exultante cleri concentu memoratus Paraclitus in specie ignis discipulorum cordibus illapsus eadem inflammasse, domus divinis deputata ministeriis decenti luminarium decore debeat coruscare. Ne igitur laudabilis suæ devotionis exhibitio, mutatione personarum, ut fieri assolet, ecclesiæ nostræ, quod absit, institutum depereat, eam ad posteros transmitti cupientes, memorato canonico in sua nunc canonica successuros honeris hujus honore censuimus honorandos : statuentes, ut quicumque in posterum, nostra vel nostrorum largitione successorum, ad præscripti beneficii emolumentum aspiraverit, in ipsius investituræ celebratione, firma et sollempni sponsione, memorato non honeri dixerimus, set honori se devintiat. Quod quid, quum nobis expedit, inconvulsum persistere, quatinus et ob hoc spiritalem claritatem nostris sensibus mereamur ingeri, et supernorum amore ferventius accendi, nostram huic rei, qualem decet, impertientes auctoritatem, id ipsum scripti perhennis testimonio prosequimur, sigillorum appensione roborantes.